

(a) *CLVI. n. CXIV. p. 454.*

Ab hoc marmore arguit alio loco (a) idem Reinesius, *Valeriam Viam* non solos habuisse terminos Tibur & Corfinium in Pelignis; sed etiam productam esse ad ostia Aterni, *Piscariam* nunc vocant, sive illa in Vestinis sita sit, sive in Marrucinis.

(b) *l.c.*

In *Valeria Via* primum oppidorum *Valeriam* Strabo (b) recenset; prima enim iis occurrebat, qui Tibure venirent. *Sunt in ea (Valeria scilicet Via) urbes latinae VALERIA, Carsoli & Alba, & prope urbs Cuculum.* Oppido huic, puto, *Via Valeria* nomen dedit, juxta quam ipsa erat; ad dexteram Anienis ripam; non autem *Valeria Marfa*, quam somniavit in sua *Marforum historia* Mutius Phocobonius (c), atque hunc secutus Abbas Petrus Antonius Corfignanus libro *de viris illustribus Marforum* (d), qui suae opinionis auctorem facit cum Raphaelem Volaterranum, tum monumentum quoddam vetus quod Romae visitur, atque inter antiquas alias inscriptiones retulit V. Cl. Abbas Joannes Vignolius, quae habentur post insignem ejus Dissertationem *de columna Imperatoris Antonini Pii* (e). Inscriptio illa est:

(c) *lib. I. p. 52.*

(d) *p. 35.*

(e) *p. 271.*

D. M  
VALERIAE  
CREYSADI  
VALERIA  
FORTVNATA  
PATRONAE. SVAE  
B. ME

At nemo non videt; vetus hoc monumentum ad fictam illam *Valerianam Marfam* nihil pertinere. Nulla praeterea est Volaterrani auctoritas, qui ubi loquitur de *Valeria Marforum oppido* (f), ne verbum quidem de hac *Valeria Marfa*, a qua conditum illud ajunt. *Valeria regio hic Straboni ponitur, quae a Tiburtinis initium capiens, ad Marsos in Corfinium ducit: in ea URBS VALERIA patria Bonifacii III. jam extincta. Carsoli quod oppidum Plinius & Ptolemaeus inter Aequeculos ponunt: quae gens ad Marsos pertinebat: simul cum Clastidio: qui sane omnes interiire: ex horumque ruinis excitata sunt nova oppida vicina, Taliacotium, VICOVARUM, Celanum. Certius igitur est, Valerianam urbem a Valeria Via nominatam, ad quam sita erat, ipsamque Viam ab aliquo Valeriae gentis romano viro, sicuti ab Appio Aemilioque nominatae sunt Appia & Aemilia Viae.*

(f) *Comentar. Urban. l. VI. col. 178. edit. Lugdun. ap. Seb. Gryph. 1552 in fol.*

*Valerianam hanc Variam dixit in Itinerario Antoninus, atque ait abesse Tibure octo passuum millia; eamque viae longitudinem testatur dimensum se esse Cluverius (g). Variam quoque nuncupant Tabulae Peutingerianae a Marco Velfero editae; Bariam Geographus anonymus Ravennas (h) a P. Placido Porcheron, Monacho Benedictino, e s. Mauri congregatione, illustratus. Suspiciatur Cluverius (i), ubi loco citato Strabo enumerat regionis ejus loca, non Valerianam, sed Variam legendum; & libentarios qua Valeriae viae nomine, qua vocum similitudine deceptos, urbi tribuisse, quod erat solius viae, nomen. Dicta vero retractavit, ubi apud Anastasium in Bonifacii III. vita legit: natione Marforum, de CIVITATE VALERIA. Atque id fecit ut judicaret, Marsos, late sumptos, certe scriptoris ejus aevo, amplexos esse Vicovarum. Lucas Holstenius in notis ad Cluverium (k) arbitratur, ab auctore vitae Bonifacii III. Valerianam viam regionemque pro civitate sumptam esse.*

(g) *It. alant. lib. II. p. 783.*

(h) *p. 218. edit. Paris. 1688. in 8.*

(i) *l.c.*

(k) *p. 163.*

At